





4137

1651, 2

18

DISPUTATIO POLITICA

De

# MAJESTATE,

*Quam*

Divinâ adspirante Gratiâ ac

Inclutâ Facultate Philosophicâ com-  
probante,

SUB PRÆSIDIO

*Admodum Reverendi, Excellentissimi atque  
Clarissimi*

**DN. JOHANNIS MAUKISCHII**

Freibergensis, SS, Theol, Licentiati,

*Publicè ventilandam proponit*

**CHRISTOPHORUS Krauendorff**

Numburg, Magist, Candidatus,

*Ad d. XII. Januar. An. M DC LI.*

*horis locoque consuetis.*



16.

LIPSIÆ,

Typis Henningi Coleri,



DAVID R. POLITIA  
DE  
MAJESTATE

DE  
DIVINA SOVERANITATE GRATIA BE  
INCLUSI FACULTATE PHILOSOPHICA COM

JOHANNIS MAJESTATE

IN

CAUSA

ANNO MDCCLXXII

1772  
Typis Henningi





A & Ω.



*Um novi anni auspicio, quod felix faustumque Numen jubeat supremum, Disputationum publicarum telam dum exordimur, ab ejusmodi penso quod & dignitate & utilitate longè præcellat aliis, primordia ducere maximè par esse judicamus, quo scilicet alios in spem adducamus optimam, fore, ut & hæc tela non inanibus tricis ac plicis, quarum scientiam vir bonus vix cassâ nuce dignam existimat, involvatur, sed cum rei literariæ ac vitæ, quam agimus, politica incremento ac ornamento pertexatur. Virtute verò Politicâ præstantiorem nullam in hac vitâ hominem consequi posse, Autor est Plutarch. in Cat. Maj. Hæc enim & auctoritatis pondere & utilitatis ubertate & oblectatione honestissima reliquas facillè vincit disciplinas. Ut enim gubernatori cursus secundus, Medico salus, Imperatori victoria: sic Moderatori Reipubl. beata civium vita proposita est, ut opibus firma, copiis locuples, gloriâ ampla, virtute honesta sit, judice Cicerone, Lib. 8. ep. 11. ad Att. Immo ea nos imbuunt scientia & facit ut sciamus, quid nostri muneris sit & officii sive nos Deus ἀρχοντας sive δεχόμενος in Reipubl. esse voluerit. Cum primis tamen ipsum Principem instruit. Ille enim est vinculum, ut Senecæ verbis utamur, per quod Resp. coheret, ille spiritus vitalis, quem hæc tot millia trahunt, nihil ipsa per se futura nisi onus & præda, si mens illa imperii subtrahatur, Lib. 1. de Clem. cap. 4. & quidem cum tanta principi sui potentia: hæc vitæ regulam per virtutum præcepta præscribit, ut ita salutaris ea evadat, ac totum Reipubl. corpus ad capitis sui nutum*

ac motum se convertat. Quod vicissim nervosè, ut multa alia, complexus est Seneca. Ita, inquit: virtutes magnis viris decori gloriaeque sunt, si illis salutaris potentia est. Nam pestifera vis est valere ad nocendum. Illius demùm magnitudo stabilis fundataque est, quem omnes supra se esse quam pro se sciunt, ejus curam excubare pro salute singulorum atque universorum quotidie experiuntur, quo procedente non tanquam malum aliquod aut noxium animal à cubili profiliret, diffugiunt, sed tanquam ad clarum ac beneficum Sydus certatim advolant, objicere se pro illo mucronibus insidiantium paratissimi, & substernere corpora sua, si per stragem illi humanam iter ad salutem struendum sit. Lib. 1. de Clem. cap. 3. Quae cum ita se habeant, operam nos perdere, frustra que tempus terere non putamus, si quando nonnihil de eo, quod Politica quasi caput & fons esse videtur de Majestate, videlicet, quantum nimirum ingenii nostri imbecillitas concesserit, ad placide examinandum in medium proferamus. Quod dum facimus, non immeritò divini Numinis auxilium imploramus, ut laboribus nostris coeptis auxiliante suâ gratiâ adesse, omniaque bonum in finem dirigere non dedignetur. Esto igitur

### THESIS I.

Majestas derivatur à MAIUS, sicuti à tempus tempestas, ac ab Aristotele graecè vocatur *μελίτισμα*. Ab aliis ἀνεξιέρσια, κυρία ἀρχή. Est enim hoc vocabulum ambiguum & vel PROPRIE vel IMPROPRIE sumitur. PROPRIE in Schola Politica pro potestate summâ imperii. IMPROPRIE tùm METONYMICE pro externâ eminentiâ, quâ illa summa potestas omnibus existit venerabilis, tùm METAPHORICE, cum iis etiam

tri-

tribuitur, quibus splendorem, eminentiam ac potestatem aliquam transcribimus. Nos propriam acceptionem hinc retinentes, hoc simul monemus, Politicos plerumque nomine Majestatis non cujuslibet imperii, sed Monarchiæ potissimum potestatem intelligere.

Ex. 1. Ut itaque in Majestatis cognitionem eò facilius ac felicius noster penetret intellectus, ipsa vocis sectabimur cunabula. Dicitur autem majestas communiter Autore Festo à magnitudine, quo respiciens Cicero definit, magnitudinem populi Romani in ejus potestate ac jure retinendo. Gigas majestatem dictam putat, quasi majorem statum vel potestatem, quod sit amplitudo & magnificentia in Rep. Verum hic rei magis verisimilitudinem, quam nominis derivationem more Jctorum secutus est. Nos Becmanni originationem approbantes, MAIESTATEM à MAIUS veluti à TEM-  
PUS TEMPESTATEM, ab antiquo EGUS EGESTATEM derivamus. Quam Græci ἀρετὴν ἐξουσίαν, κυρίαν ἀρχὴν, κύριον πλιτεύμα, ut notat Bodinus, ac ipse Aristoteles πλιτεύμα, appellant.

in tract. de  
crim. læl. ma-  
jest. lib. 1.  
Lib. 1. de  
Rep. cap. 8.  
Lib. 3. fol.  
cap. 6. & 7.

Ex. 2. Et quidem ut Scholæ politicæ memores, eam mittamus acceptionem, quâ majestas soli Deo vendicatur, utpote, à quo omnis fluit potestas, splendor & eminentia, vox hæc accipitur vel PROPRIE pro potestate summâ Imperii à qua reliquæ inferiores dependent, vel deinceps IMPROPRIE & quidem tum METONYMICE pro illâ externâ eminentiâ, quâ summa illa potestas omnibus existit venerabilis. Et sanè hæc acceptio non tantum in trivio versatur, sed apud multos etiam Politicos, eosque non parvi nominis occurrit, ut quando Tholosanus eam definit, *esse quidpiam latens, quod reddit præter naturam propriam mirabile quippiam, unde veneratio singularis & honor nascitur, nec quale illud sit, possunt ipsi admirantes notare apertè.* Ac paulò ante: *In Regibus majestas dicitur excellentia dignitatis & honoris primum Deo attributa absolutè & solummodò, dehinc & principibus, qui in terra sunt Dei simulacra, cujus majestatis impressio etiam inter fortuna varietates principum insidet*

Lib. 8. de  
Rep. c. 3. §. 2.



Lib. 2. c. 16.

personis, veluti signaculum & character potestatis, quæ nulla est, nisi à Deo permittatur vel detur. Et Lipsius majestatem reverendam quandam amplitudinem appellat ob meritum virtutis, aut affinium rerum.

Lib. 1. Pol. c. 2

Ac Keckermannus ait quod sit vis quedam, per quam Princeps sibi conciliat in animis hominum singularem quandam admirationem venerationemque, & cum utraq; conjunctum metum, quo nomine etiam à Besoldo erroris insimulantur. Huc revocare potes eos, quibus nomen majestatis tribuitur, cum tamen nihil minus quam majestatem contineant; Sicut alii contrà majestatem ipsam tenentes, ne populi invidia ac odiis exponerentur, ipsum nomen majestatis regie defugerunt, quod arcanum à Julio Cesare, ab Augusto & Tiberio observatum fuisse ex Dione, Suetonio & Tacito Arnisæus probat. Tum etiam METAPHORICE, si quando iis rebus, in quibus magnitudo aliqua conspicua, Majestatem tribuamus, sicuti Scripturæ Sac. ac orationis alicujus majestatem commendamus.

De Jure Maj.  
Lib. 1. c. 1.

Exth. 3. Nobis illa arridet acceptio, quâ politici hoc nomine summam indigitant potestatem, eamque in genere hic consideramus, prout in omnibus tribus Rerumpubl. formis habetur, licet & hoc non ignoremus, Majestatem, cum virtus imperandi eminentius in Monarchia præfulgeat, cum communi loquendi consuetudine à magnâ Politicorum pergulâ solis Regibus ac Monarchis, unde & jura Majestatis Regalia ac Regia salutantur; quin etiam à non paucis soli Imperatori transferibi. Videatur Arnisæus per totum caput secundum Lib. 1. de Juribus Majestatis.

Lib. 2. c. 7. 8

Exth. 4. Antequam hâc thesi abeamus, dubium adhuc aliquod è Libro 3. Pol. cap. 7. ex Aristotele proponimus qui πολιτείαν καὶ πολιτεύμασιν αἰνεῖν ταυτὸν idem significare asserit, quod ita solvit Cellarius in Politicis. Dupliciter aliquid dici potest idem cum aliquo esse, idemque significare 1. ut sint duo vel plura nomina diversa idem tamen prorsus significantia, cujusmodi sunt λώπιον καὶ ἱμάτιον? indumentum & vestimentum, gladius & ensis, quæ ab Aristotele 1. Top. 7. τὸ ταυτὸν δεῖξαι seu idem numero proprie & primum dicuntur. 2. Ut sint duo vel plura nomina non quidem identicam significationem habentia, idem tamen in re significantia, quomodo idem sunt & significant homo & rationale, homo & grammatica capax. Priori modo  
maje-



*majestas & Respubl. idem non sunt, nec idem significant. Posteriori  
verò modo idem sunt idemque significant. Majestas enim e.g. penes  
unum in re idem est ac Monarchia, Majestas penes paucos optimates  
idem est ac Aristocratia. Quà proinde ratione se habent Majestas penes  
unum & Majestas penes optimates ad Monarchiam & Aristocratiam;  
eàdem se habet πολίτευμα seu Majestas ad πολιτείας seu Rem publicam.*

## THESIS II.

*Definiri autem potest Majestas ex ipso Aristotele  
hoc modo: Πολίτευμα ἐστὶ τὸ κύριον τῶν πόλεων ex Lib. 3.  
cap. 7. vel adhuc evidentius ex cap. 6. hujus libri  
πολίτευμα τῆς πόλεως πανταχῶς κύριον Majestas est potestas in  
civitate ubique summa. Bodinus eam sic describit:  
est summa in cives ac subditos legibusque soluta po-  
testas.*

*Εκθ. 1. Rempublicam Philosophorum parens definiens eam  
vocat ἄξιον πόλεως τῶν τε ἄλλων δεχῶν καὶ μάλιστα τῆς κυρίας πάντων  
ordinationem civitatis & circa magistratus alios & maximè circa id  
quod summam in civitate habeat auctoritatem. Cum autem in o-  
mni ordine si ascendatur, non in infinitum se extendat ascensio,  
hinc etiam in imperandi potestate ac ordine ad supremam tandem  
aliquam deveniendum est, quæ nobis salutatur Majestas.*

*Εκθ. 2. Definitor autem Aristotele hoc modo: Lib. 3. c. 7.  
τὸ πολίτευμα ἐστὶ τὸ κύριον τῶν πόλεων, & explicatur hoc diluci-  
dus cap. 6. τὸ πολίτευμα ἐστὶ τῆς πόλεως πανταχῶς κύριον, Majestas  
est summa ubiq. potestas in civitate. Quam itaque Philosophorum  
Coryphæus Majestatis definitionem ipse consignavit, meritò  
nonnullis salivam movet arrogantia illa ac jactantia Bodini vana  
ac frustranea, qui cap. 8. Lib. 1. de Rep. ita gloriatur: *principiò de-  
finienda fuit Majestas, quam nec Philosophorum nec Jurisconsultorum quisquam  
definiit, cum tamen nihil ad Reipubl. naturam intelligendum majus aut  
magis necessarium esse videatur; qui si parilem in Philosophorum  
Patre legendò ac reprehendendo locasset operam, non ad id vani  
loquen-**

loquentiæ prolapsus fuisset. Ipse verò ita definit: *Majestas est summa in cives, ac subditos legibusq; soluta potestas*, quam ipsam definitionem Pauermeisterus in tract. de Jurisdic<sup>ti</sup> Imperii Rom. Lib.1. cap.3. num. 22. flagellat.

Lib. 2. c. 2.

Ex 3. Jam ad ipsius definitionis verba & quidem GENUS redimus. Est autem illud POTESTAS, quæ hoc in loco, ut monet Celsarius in Politicis, *non notat actûs oppositum, quomodo Ens actu vel potestate esse dicitur, nec notat agendi potentiam, quomodo qui robusto est corpore, potentiam habet ambulandi, sed imperium ac licentiam, quo in significato nomen potestatis occurrit, quando dicitur: potestatis verbo plura significantur. In persona magistratum imperium, in persona liberorum patria potestas, in persona servi dominium.* l. 215. ff. d. V. S.

Ex 4. Appellata verò fuit hæc potestas SUMMA ut ab inferioribus potestatibus, quæ omnes huic suam debent originem, distingueretur simulqve indicaretur hanc præter Dei immortalis potestatem superiorem inter homines non agnoscere, nec ullius præter Deum imperio se fateri obnoxiam, prout eleganter canit Guntherus in Ligurino Lib. 6.

— — — nullum caput ista super se  
Aspicit, excepto cælorum Rege potestas.

ep. 85.

Id quod etiam ipsa indoles majestatis exigit, hæc voce significata. *Summum* namque ut loquitur Seneca *adjectionem non recipit* (quid n. supra summum erit) Sicut & Paulus Jctus l. proximus 92. ff. de Verb. S. *Proximus est, cui nemo antecedit: supremus est, quæ nemo sequitur.* Hinc Arnifæus ait Lib. 1. de Jure Majest. c. 3. *natura primi estimatur ex ratione quam Aristoteles 8. Phys. t. 16. subordinata inter se habere dicit, sicut in ordine nature primum vocatur, quod in generatione procedit, in ordine cognitionis, quod in notitiâ prius incurrit, in ordine efficientium, quod prius movet.* Ratio verò ordinis in Rep. consistit in gubernando & imperando, Lib. 3. Polit. cap. 6. ideoque primum censendum, quod imperat & gubernat omnia, ipsum à nemine gubernatum, & hoc ipsum jam summum est, cui si velis opponere aliam potestatem æqualem, efficitur ut neutra summa sit. Istud autem supremum unum saltem est sive in sua natura unum sit, sive conspiratione & analogia, quale videmus in Aristocratia & Democratia. Licet enim in Aristocratia & Democratia plures ad Reipubl. clavum sedeant, quia tamen non

non singuli & *divisim* sed omnes *conjunctim* imperant, unius locum subeunt.

Ex 5. Denominatur etiam porro subjectum videl. civitas quæ Schönbornio dicitur, *hominum secundum easdem leges viventium certâ ratione moderatus cætus*, & Aristoteli ἡ γενῶν καὶ κωμῶν κοινωνία ζωῆς τελείας καὶ ἀντίρροτος generum ac pagorum societas vitæ perfectæ ac sufficientis. Proinde ubi ejusmodi societas non est, vel rupto ordine divagantur omnia, illic etiam majestas inveniri nequit.

Lib. 1. Pol. c. 12  
Lib. 3. Pol. c. 9

Ex 6. Quando tandem additur, quod sit κύριον πάντα ἄλλοις *ubiq; dominans potestas*, eo subinuitur, quod nemo in illo Reip. ordine listatur, qui majestatis auctoritatem subterfugiat, aut ejus imperio sese possit subtrahere. Probè tamen explicanda & hæc vox est, quod non universalitatem *absolutam sed accommodam ac determinatam*, hoc in loco subindicet, videl. omnes illi tantùm intelligantur, qui ex illa majestate ejusque imperio dependent, ne unus Rex ad totius orbis dominium suas extendat fimbrias, ac alios omni exuat potestate. Nobis enim illa sententia, quæ referente Arnisæo *reliquos Reges & Principes iniquos possessores facit, majestatem eis de Jure adimit, bellig; semina inter Principes ferit*, dum unum imperatorem ac Dominum totius orbis collaudat, non adeò hæc tempestate proficua videtur. Rationes verò in contrariam partem adductas fortiter elidit ac eludit Arnisæus cap. 2. Lib. 1. de Jurib. Maj p. 29. & seqq.

Ex 7. Proinde licet provinciarum vel regionum tum *intensiva* tum *extensiva* magnitudo, diurnitas ac auctoritas splendorem adaugeat, quomodo Romanum Imperium semper augustum, ut ut à Succo loliginis atræ, caninâque rabiosorum quorundam maledicentia impetatur, invictum ac gloriosum perstabit, eiq; splendore isto reliqua regna multis cedent parasangis. Nihilominus tamen unum quodlibet imperium ac regnum, aliorum potestati exemptum, suam sibi habet majestatem; quod non ineleganter Bodinus ita dilucidat: *Vt elephas, inquit, non magis animal dici debet, quam formica: sic Ragusia civitatum ferè omnium, quæ sunt in Europâ minima, non minus Resp. dici debet, quam Turcarum aut Tartarorum, aut etiam Hispanorum quorum imperia iisdem finibus, quibus solis cursus, terminantur; & quemadmodum exigua familia angustissimis gurgustis cõprehensa, eodem familiarum jure censetur, quo quam superbissimis ac late-*

B

p. 1100



parentibus a discipulis gloriantur: sic Ulysses, cujus imperium Ithaca seorsum  
te continebatur, rex aequè dicitur ab Homero atq; Agamemnon.

### THESIS III.

*Majestas quidem legibus HUMANIS ac POSITIVIS,  
non verò DIVINIS ac NATURALIBUS soluta est.*

Ex. 1. Bodinus cum multis aliis in Majestatis definitione ad-  
didit, *eam solutam esse legibus*, quod quidem si majoris *ἐξουχίας*  
gratia adjiciatur, non adeò culpabimus, sin ex ipsâ necessitatis le-  
ge, refragamur. Quod si enim hæc potestas dicatur potestas sum-  
ma, utique respectu eo, quo dicitur summa, omnes potestates trans-  
cendit, nec se legum vinculo adstringi & teneri patitur.

Ex. 2. Cum autem hæc quæstio, an majestas sit soluta legibus  
non solum multis intricetur difficultatibus, sed etiam, si minus  
rectè capiatur, tum ex parte eorum qui regunt, tum etiam eorum,  
qui regimen patiuntur, non parvum detrimentum Reip. inferre  
videatur, imò quandoque totam Reip. basin, uti hodie Anglia fi-  
dem facit oculatam, convellere nitatur. Idcirco antequam quid-  
quam certi determinemus, singulorum prius terminorum noti-  
tiam hauriamus, & quidem, quando de Majestate quæritur, licet  
Majestas etiam *Realis* firmo talo niti nequeat, si frontem adversant  
legi divinæ ac naturali opponat, non tamen tam de eâ quam *perso-  
nali* hic disceptatur, unde etiam ab aliis plerumque ita movetur, an  
Rex vel Princeps, qui non *idolum* tantum aliquod regis sit, sed  
Majestatem Regiam, prout ea quidem in Politicis describitur,  
*reapse teneat*, legibus solutus sit.

Ex. 3. Quando verò Principem legibus solutum profitemur,  
hic vicissim eruenda est ipsa natura legis, tum *in genere*, quid Lex  
sit? tum *in specie*, quid divina, naturalis ac positiva. Et quidem cum  
D. Meisnerus laudatissimæ memoriæ dissertationem peculiarem  
de Legibus ex Philosophis, Patribus, Scholasticis, Jctis ac Theolo-  
gis conscripserit, ex illo terminorum horum notitiam, cum tem-  
poris ratio brevitatem imperet, sumemus. Describit autem legem  
in genere Lib. I. quæst. IV. p. 61. breviter, quod sit *norma rectè agen-  
di cum obligatione præscribens*. Hic statim habes omnem legem ob-  
tine-

tinere tūm vim directivam, quatenus norma est, tūm coactivam, quatenus cum obligatione præscribit. Hinc quæst. V. p. 78. ulterius de utraque potestate ita differit Meisnerus: *Si bonum duntaxat præscribat & suadeat, consilium est non præceptum. Hinc ex Philoſopho Lib. 10. Eth. cap. 9. communiter asserunt Doctores, omnem legem habere vim non solum DIRECTIVAM, quatenus vult bonum fieri, & malum vitari; sed etiam COERCITIVAM vel COACTIVAM. Nam quod imperatur, necesse est fieri; si non fiat, pœnã habet, inquit Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum. Et pag. seq. 79. ulterius explanat, quomodo leges obligent, & quidem OBLIGATIONE DVPLICI, alterã, qua sit sub peccato, seu in foro interno conscientia; alterã, qua sit sub aliquã pœna pœnave reatu, seu in foro externo politica. Et hanc utramque obligationem intelligimus, quando legem habere dicimus vim coactivam. Legis enim cogere, non est voluntatem transversam rapere; sed tantum obstringere, vel necessitatem agendi inferre illis, qui pœnam evitare volunt. Non enim Lex relinquit amplius utrumque oppositorum, sed unum ponit & ad istud homines obstringit, id quod aliis appellatur vis coactiva.*

Ex 9. 4. Accuratè porrò & hic prænotandum est, aliud esse, legem habere vim coactivam seu actum primum cogendi, aliud verò legem ipsam vim coactivam exercere seu actu secundo cogere, ac ita eum qui deliquerit, obtorto collo ad supplicium trahere. Nam multa, possunt intercidere, quo minus actus secundus exerceatur, id quod etiam pueris & qui foco assident culinari, in aliis exemplis physicis notum est, quippè qui inter vim calefactivam seu calefaciendi, ac inter ipsam calefactionem, inter vim humectandi ac humectationem norint discernere; Et sic etiam in legibus v. g. lex de furto manet lex obligatoria vimque coactivam retinet, licet fur foribus effractis ac vinculis ruptis elabatur.

Ex 9. 5. Observandum insuper & hoc est, legi vim coactivam competere ab ea scilicet majestate, quæ sancivit legem, divinã à divina, humanã ab humanã, in cujus etiam potestate est situm, per eos, quos velit, vim coactivam legis exercere, ac ita delinquentem supplicio coërcere v. g. in lege positivã, an ex hujus vel illius dicasterii sententiã, per hunc illumve ministrum; Ex quo luce meridiana clarius est, eum, cui non demandata est executio, si id pote-

statis sibi arroget, licet reus supplicio sit dignissimus, pœnas incurrere gravissimas.

Ex 9. 6: Jam ad ipsam legem divinam, quæ prout legi naturali contradistinguitur in Ceremonialem, Judicialem ac Moralem à Theologis distinguitur, quibus hæc lampas tradenda est, dummodo in hæc controversiâ ab illis informemur, quod per legem divinam non tam Ceremonialem & Judicialem, quæ ad Remp. Israëliticam spectabant, quam Moralem, quæ omnibus etiam hodiè Principibus data & lata esse statuitur, intelligamus, sicut & nullus Christianorum Principum reperietur, qui non utriusque tabulæ custos, si non esse, saltem videri, velit ac gloriatur.

Ex 10. 7. Lex naturæ, multorum recitatis definitionibus, tandem à Meisnero sic definitur, quod sit *habitus connatus continens generalia principia practica de imagine divinâ adhuc reliqua, quæ apud OMNES eadem, mutari nequeunt, dispensationem non admittunt, quidquid bonum & faciendum, quid malum & fugiendum sit, ostendunt, ut externa disciplina & pax politica conservetur, Deus queratur & glorificetur, vel si homines ista negligunt inexcusabiles fiant*, quæ definitio, cum Theologiæ luce radiet, in qua plenius & planius, quid lex naturæ sit explicatur & hîc à nobis in Scholâ Philosophicâ supponitur, ut ita facilius in quæstionis intricatæ notitiam provehamur. Hoc tamen adhuc è definitione repetimus omnes omninò homines, quatenus naturam humanam habent, huic legi subjacere, sicut & ipsius principia cordibus inscripta circumferunt.

Ex 10. 8. Tandem cum Meisnero ex Gregorio de Valentia Tom. 2. col. 910. 911. ostendimus quinque modis contingere posse, ut quis legi alicui non sit subjectus. 1. *Ob legem NON RITE LATAM nemo pè si vel injusta sit, vel legitima auctoritate & approbatione careat.* 2. *Ob LEGIS ABROGATIONEM, quæ fit à legitimo magistratu.* 3. *Ob ἐπιτακτικῶν, cum declaratur, casum aliquem non esse in lege comprehensum.* 4. *Ob SUPERIORIS DISPENSATIONEM, quæ certas gravesque ob causas obligationem remittit.* 5. *Ob SPECIALE PRIVILEGIUM, cum aliquis ab initio statim auctoritate legislatoris ab obligatione excipitur.* Ex quo vicissim effulget, cum, politicè loquendo, non lege dici solum, qui sors factus è vestigio ad supplicia non trahitur, vel è vinculis & carceribus prorepat ac prorumpit; Aliud nam.

namque est obligatio ad poenam, aliud verò executio illius poenæ; uti  
& vicissim aliud est ipsa executio, aliud executionis modus, an vide-  
licet per hunc illumve instituat.

Exth. 9. Lex tandem humana ac civilis est Meisnero Constitutio  
legi naturali conveniens & habens publicam auctoritatem, prescribens  
aliquid, quod sit à subditis necessario observandum in salutem & com-  
modum communitatis Lib. 4. sect. 1. quæst. 1. p. 252. Et noster Philoso-  
phus definit legem lib. 10. Nicom. c. 10. νόμος ἀναγκαστικὸν ἔχει δύ-  
ναμιν λόγος ὢν ἀπὸ τινος φρονήσεως καὶ νόσ oratio ex prudentia & men-  
te profecta cogendi vim habens. Quis autem ille sit, qui vim illam  
cogendi largiatur verbis proximè præcedentibus ostendit, quando  
negat, τὸ ἀναγκαστικὸν esse unius viri μὴ βασιλέως ὄντος ἢ ἑνὸς τοῦδε  
nisi rex aut talis aliquis sit. In Rhetoricis vero suis ad Alexandr. c. 1.  
& 2. legem, respectu potissimum ad Democratiam habito, ita defi-  
nit, quod sit λόγος ὁρισμένος κατ' ὁμολογίαν κοινὴν πόλεως, κενύων  
πῶς δὲ περὶ αὐτὴν oratio, quæ communi civitatis consensu definita jubet,  
quo pacto unumquodque agendum sit.

Exth. 10. Jam ad ipsam decisionem descendamus. *Majestas tam  
realis quam personalis lege humana, quam ipsa tulit, obligari nequit,  
cum ita instrumentum, quale lex est, in causam principalem age-  
re nequeat, omnisque vis coactiva ab ipsa majestate profiliat, quæ  
etiam circa legem merè hujusmodi positivam liberè dispensare  
potest ut ita neque quoad vim directivam neque quoad vim coacti-  
viam teneatur.* Dixi majestatem dispensare posse, non verò dispen-  
sare DEBERE. Quod si enim Rex vel Princeps ipse leges à se latas ob-  
servet, illæ ex hâc observatione plus roboris ac auctoritatis su-  
munt. Hinc aureum illud: *Digna vox est majestate regnantis legi-  
bus alligatum se Principem profiteri.* Adeò de auctoritate Juris nostra  
pendet auctoritas & reverà majus imperio est, legibus submittere prin-  
cipatum d. l. digna vox in fi. C.

Exth. 11. *Majestas tam realis quam personalis legibus divinis & natu-  
ralibus, neque quoad vim coactivam, neque quoad vim directivam soluta  
est, nec etiã circa illas dispensare potest.* Id quod rationibus invictis ac  
ex ipsâ tum legum tum Principum naturâ petitis, quæ è superioribus  
multo prorumpunt agmine, statuminari potest. 1. Quicquid est  
creatura Dei, illud etiam creatori seu legi divinæ est obstrictum.

Omne



Omnia maiestas tam realis quam personalis est creatura Dei.  
Ergo. Maiestas tam realis quam personalis creatori seu legi divi-  
nae est obstricta.

Major patet ex natura legis divinae superius declarata; Id  
quod contra Hippolithum à lapide probè notandum est, qui qui-  
dem dicit pag. 84. *eum qui Principem in Republ. locum obtinet, leges  
dare non accipere nisi à summo Deo*; veruntamen paulò post aliorum  
sententiis de Jure divino, naturali, gentium ac positivo pag. 85. &  
86. recitatio tandem pag. 87. sect. 2. omnes distinctiones respuere  
ac in sententiam nostram adversam inclinari videtur. *Nos, inquit,  
nulla inter leges facta differentia priori sententiae, quae inter directivam  
& coactivam vim, seu inter necessitatem & honestatem distinguit, ratio-  
ne antiquorum Imperatorum sanè ad stipulamur, qui id sibi usurpa-  
runt, quod ante civium Romanorum datum est nemini, ut solvi legibus  
esse dicerentur, h. e. omni legis necessitate liberati, nec iis, quae scripta  
sunt, coacti.* Sed homo linguam suam maledicam in domum Au-  
striacam gloriosissimam nusquam non exasperans ac acuens, ipsam  
vim coactivam, cum ipsius executione, quae à subditis facta fuerit,  
confundere videtur.

2. Quicumque est homo habens veram humanam naturam, il-  
le non est solutus lege naturali.

Princeps est homo habens veram humanam naturam.

E. Princeps non est solutus lege naturali.

Major vicissim clarescit ex definitione legis naturalis.

3. Quaecunque lex est perpetua ac immutabilis, ab illa non pot-  
est Rex solvi, illi legi subjectus.

Atque lex naturalis est perpetua ac immutabilis. E.

4. Quaecunque lex est ritè lata, nec 2. à Deo abrogata, neque 3. æ-  
quitati repugnat, neque 4. autor legis circa eam dispensavit, ne-  
que 5. Reges per speciale privilegium exemit, ab illa lege non est  
exemptus Princeps.

Atque lex naturalis est ritè lata, neque 2. à Deo abrogata, neque  
3. æquitati repugnat, neque 4. autor legis circa eam dispensavit,  
neque 5. Reges per speciale privilegium exemit. E.

Major patet ex recensione modorum supra allegatorum, quibus  
aliquis à potestate legis solvitur.

Mino-



Miaores verò propositiones adeò perspicuæ sunt, ut facile probatione illarum supersedeamus.

Exh. 12. Sed inquires hâc ratione principum colla in novacula acie versari, meque cum Britannorum perfidiâ, sceptrâ regum populi rabiosi libidini, ut pro lubitu pœnas sumant, exponere. Quem scrupulum ut eximam, hic repeti jubeo, quis divinæ ac naturalis legis auctor sit, & per quem etiam legis suæ violationem ut vindicaret, cõstituerit Non certè subditis hoc in mandatis dedit, ut Reges ac Principes jugularent, sed ut omni potestati humanæ subiecti essent 1. Pet. 2. v. 13 & 14. ac etiam τῶν σκολοῖς v. 18. parerent, quod è divinis litteris subditorum rebellionem opponendum est. Præclare hâc de re disserit Brentius: *licet principes, à suppliciis hominum tutos faciat majestas, vindictam tamen divinam eò sentient graviores, quo gravius peccant, & pluribus peccandi occasio exemplis suis existunt* hom. 27. in lib. 1. Sam.

Exh. 13. Tandem etiam de legibus fundamentalibus anxie disceptatur, an & iis majestas soluta sit, ubi præmittenda est distinctio inter *Majestatem in ideâ ac essentiâ consideratam*, ubi majorem libertatem Regis facile possumus concipere, & *ratione existentia*, ubi propter abusum istius potestatis aliasque considerationes limitatio frequentius ponitur. Executiendæ itaque sunt leges fundamentales, an illæ majestatem imminuant, ac optimates populumvè in potestatis partem ac societatem admittant, id quod si fiat, ejusmodi Rex, licet hoc nomine insigniatur, ipse tamen majestatem illibatam in se non tuetur, ac vigore promissi & juramenti legibus illis stare tenetur. Videatur hâc de re Cellarius Lib. 2. c. 7.

#### THESIS IV.

*Tandem dividi potest majestas in Monarchicam, Aristocraticam & Democraticam. A nonnullis vero recentioribus in Realem ac Personalem, seu ut alii loquuntur, Regni & Regnantis.*

Exh. 1. Quamvis Majestas perhibeatur *individua*, non tamen prorsus est *indivisibilis*, prout etiam Metaphysici inter *indivisibile ac indivisum* distinguunt, quod Arniseus egregie ad divisionem accommodat majestatis, quando in jura sua majora ac minora dividitur, de quibus hac vice ne agamus, chartæ præpedimur penuriâ. Nihilominus tamen illud unum non semper est unum numero, sed quan-

doq;

doque *VNUM RATIONE*, sive ut Arnisaus loquitur illud non semper in suâ naturâ unum est, sed *conspiratione & analogia* ut laudatus politicus egregiè ad præsentem materiam accommodat: & ita majestas alia est in Monarchia, ubi saltem unus, alia in Aristocratia ac Democratiâ, ubi optimates populusve pro uno quasi stantes capite in summo potestatis fastigio sunt constituti. Et ita hæc divisio probè monetæ est. Deterioris verò illa recentiorum, quæ in *majestatem realem & personalem* dividit. Nam, ut ut largiamur faciles, majestatem mente distingui posse, prout nimirum illa vel *absolutè* consideratur, præscindendo omne certum individuum e. g. majestas monarchica prout concipitur esse in uno aliquo individuo, non vero hoc ipso homine Carolo videl. vel Ludovico, vel *relatè ac determinatè*, quatenus est in hoc ipso homine Carolo vel Ludovico, ac per eum potestas illa regni exercetur. Hinc extincto Carolo vel Ludovico, in quantum ad ipsum relationem habet, simul extinguitur; reali tamen seu quod perinde est majestate regni perdurante, ac ad ipsos redeunte, qui hanc majestatem illi individuo concesserant. Nihilominus tamen cum hæc distinctio præcipue in Monarchiis propriè ac rigidè sic dictis sit periculosa, ne illi, qui de sceptris ludos & jocos faciunt, suâq; manu regium contaminare sanguinem non exhorrescunt, nominalem saltem in regibus potestatem fingant, ac in seditiones & rebelliones subditorum tandem erūpat audacia; Commodius istam distinctionem mittimus, sicut & non ineptè colligit Prætorius in theat. pol. p. 156. *potestas quæ à populo principi conceditur, aut est plenaria aut limitata, si hæc, nullam consequitur majestatem (hæc enim in absolutâ consistit potestate) Ergò nec personalem, si plenaria est, ergò quoq; totalem, realem omnem accipit, ita ut nulla penes populum remaneat, nisi in unâ numero Rep. duo summa duas majestates absurdè statuere velis.* Et hæc de majestate dicta sunt: Nos in genua procumbentes ita divinæ supplicamus Majestati, O alme Deus Rex Regum ac Domine Dominantium, tibi soli majestas, honor, virtus ac gloria à nobis tribuitur, rege ac dirige omnes potestates, quibus in terris majestatem ac ita potentiam tuam simulacrum largitus es, ut & in ipsis velut in speculo tua sanctitas & justitia resulet, nosq; omnes tuâ divinâ bea gratiâ, ut tuam coelestem majestatem rectè colamus, terrenæ parcamus, ac ipsi sanctè & inculpate vivamus per Dominum Jesum Christum, Amen.

F I N I S.





Leipzig, Diss.; 1650-51

ULB Halle 3  
004 547 292



f

sb.

WMA







B.I.G.

Farbkarte #13

POLITICA

TATE,

te Gratiâ ac

osophicâ com-

DIO

ellentissimi atque

AUKISCHII

col, Licentiati,

proponit

S Frauendorff

andidatus,

An. M DC LI.

vetis.

Coleri,

1657, 7 2

18

2

16.

